Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

DA BOX

3383



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

= S.N. 407

H

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Gratulatio,

IN HONOREM ET LAVDEM HONESTISSIMI DOCTISSIMIQVE IVVEnis, D. Iohannis Oldorphij Dani, cùm illi gradus Magiſterij Philoſophici in celeberrima Tubingenſi Academia, Anno 1579. 25. die Febr. tribueretur.

EXERCITII ET BENEuolentiæ ergò ſcripta

A

NOBILI ADOLESCENTE IACOBO BIORNONE Dano, Nobilis & Magnifici Domini Biornonis Andreæ, Domini in Steinholt & Biornsholm, &c. Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis Daniæ, & totius Regni Conſiliarij, Sedis item & Diœceſeos Epiſcopalis Arhuſienſis Præſidis fideliſſimi, &c. filio, Anno ætatis ſuæ XIX.

TVBINGÆ,

EXCVDEBAT GEORGIVS Gruppenbachius, Anno 1579.

D. Johanni Petr

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

EPIGRAMMA,

IN HONOREM D. IOANNIS

Oldorphij Dani, cùm ipſi gradus Magiſterij in Inclyta Academia Tubingenſi tribueretur: ſcriptum à Melchiore Vlffſtand, Nobili Dano, &c.

PRæmia nunc capies Oldorphi optata laboris:
Artis & in claro conſtituêre loco.
Mentis non cupio varias exponere dotes
Laudes ingenij nec celebrare tui.
Præceptorum etenim prudens vtrumq; probauit
Conſenſus: quin & vita peracta docet.
Nobilis his addas verum Biornonis amorem:
Synceroq́; pium pectore iudicium.
Docta tuas memorat laudes oratio cuius,
Præclarum nomen condecoratq́; tuum.
Pergas ergo precor felici numine pergas
Oldorphi: auxilium detq́; iuuetq́; Deus.

AD EVNDEM.

FElix Oldorphi decorat quem turba virorum
Doctorũ, ac patriæ duo charæ lumina ſtirpis
Maxima: Muſarum quæ mollia caſtra ſequũtur.
Huius te celebrat concinna oratio: carmen
Illiusq́; tibi lætos gratatur honores:
Gratus ſis reſtat, recta ratione paratam
Nec mutes vitam: caſtis ſed moribus ornes.

F. Petrus Högius Danus.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

ELegantiſsimum & omnium doctorum hominum iudicio comprobatum eſt Horatij de Poëtica elogium:

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ.
Aut ſimul & iucunda, & idonea dicere vitæ.

Peculiarem enim et mirificam quandam vim efficaciamq́ ad formandos vitæ mores ſemper habuiſſe Poëſin creditum eſt. Etenim eius proprium eſt bonos laudare, & malos vituperare : Ex qua collatione virtuti præmia & vitijs ſuæ decernuntur pœnæ. Hinc alibi idem Poëta rectè canit.

Os tenerũ pueri, balbumq́, Poëta figurat. (rẽ.
Torquet ab obſcœnis iam nunc ſermonibus au-
Mox etiam pectus præceptis format amicis.
Aſperitatis & inuidiæ corrector & iræ.

Et Ouidius.

Adde quòd inſidiæ ſacris à vatibus abſunt,
Et facit ad mores ars quoq́, noſtra bonos.

Non ſolùm autem vitæ hominis proſunt, ſed etiam delectant, & ſanè non leuiter, carmina Poëtarum, inſignibus virtutum præceptis & exemplis referta. Nec vt quidam Scioli volunt, carmina, anilia fig-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

menta, aut leues ac inutiles fabulæ ſunt, ab
ocioſis quibuſdã ſtultæ delectationis gra-
tia in Gynæceis et alijs λεχοῦς fallẽdi tem-
poris cauſa excogitatæ : ſed doctiſsimo-
rum hominum inuenta acutiſsima ad pręcipiendum, obiurgandum, corrigendum,
reprehendendum, docendum, & laudan-
dum inprimis vtilia & accommodata.

Adde, quòd hominum & ingeniorum
magna diuerſitas eſt. Quidam enim acuti,
docti & periti ſunt, & ex longo orationis
corpore facilè rei propoſitę ſummam col-
ligere & percipere poſſunt. Quidam verò
non ita ſunt ingenioſi et induſtrij, ſed pau-
lò hebetiores. Horum ruditati & imperi-
tiæ vt ſuccurri poſſet, & honeſtiſsima ac
vtiliſsima quæq; ſibi perſuaderi pateren-
tur, Poëtæ viri illuſtres carmina inuene-
runt, vt horum dulcedine homines capti,
facilè cum ipſis de rebus ac negocijs con-
ſentirent, ac conſilia ſaluberrima, quamuis
ſibi aliqua ex parte contraria, admitterent.
Ac vt Medici pharmaca ex amariſsimis
radicibus præparata, morbo aliquo pericu-
loſo conflictantibus propinaturi, oram
initiò calicis melle aut ſaccaro illiniunt, vt

ea ra-

ea ratione dulcedine mellis capti, pocu-
lum alacrius exhauriant, & ſic priſtinæ ſa-
nitati reſtituantur: ita ſapientes & inge-
nioſi quiqꝫ, non ſemper aſpera legum &
virtutum præcepta adhibere, ſed interdũ
etiam carminibus, tanquam ſale quodam,
ſuam de rebus grauiſsimis orationem cõ-
dire, & homines de ſuo officio admonere
voluerunt. Et ſanè meo iudicio rectè ac
prudenter admodum. Etenim mira quæ-
dam eſt in verſibus ſuauitas, voluptas &
delectatio. Sunt enim nihil aliud (vt Eraſ-
mus confirmat) quàm ex omnium diſci-
plinarum delicijs ac medullis condita pla-
centa, ſeu ex electiſsimis quibuſqꝫ floſcu-
lis mellificium. Præſtantes enim Poëtę ex
omni genere doctrinarum præcipuos lo-
cos illuſtrârunt.

Hanc laudem omnibus ætatibus Poëſi
conceſſam, & quidem verè attributam,
ego illi lubens relinquo, nec eam carpere
poſſum, aut debeo. Hoc tamen mihi à do-
ctis cõcedi poſſe nullum dubium eſt, ora-
toriam facultatem longè ei antecellere.
Atqꝫ ne quis me remoretur ſcrupulus, pri-
uſquam ad inſtituti mei propoſitum et ca-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

put futuræ orationis proprium accedam, breuiſsimis id demonſtrare conabor.

Certum eſt, magnam quidem eſſe vtilitatem & ſuauitatem, vt & anteà demonſtratum eſt, Poëſeos: ſed longè maior Eloquentiæ. Etſi enim illa, oratio quodam quaſi ſale perſpergitur et vberior efficitur: tamen hæc præſtat in eo, vt aliorum dicta & ſcripta rectè intelligere, initia, progreſſus, & finem, cum omnibus partibus atq; ornamentis perſpicere, ſummam rei ſenſu atque animo complecti, adminicula, intermedia, decoraq; omnia cognoſcere, & tandem noſmetipſos cùm opus fuerit, grauiter, purè, dilucidè, & appoſitè oratione explicare poſsimus. Quamuis autem hîc non quidem à doctis, ſed à blateronibus & ineptis nonnullis hominibus nobis occurritur, qui impudenter garriunt, eloquentiam ſeu benè dicendi ſtudium nihil aliud eſſe, quàm quendam fucum, accerſitum ornatus inutilem, verborum inanem ſtrepitum, deniq; loquacitatem quandam futilem, homine Philoſopho indignam: Alij, qui cultiores videri volunt, fateantur, copiam quidem eſſe &

facul-

facultatem de rebus dicendi luculenter & præclarè, quocunq; in argumẽto verſeris, et quamcunq; rem ſuſceperis exponendã, dignitate nunquã carentem, ſed commodum habere nullum. Hi omnes tamen à ſcopo aberrant longiſsimè. Nam ſine eloquẽtię ope & adminiculo omnes reliquas artes mancas, mutilas & imperfectas eſſe omnes eruditi vno ore affirmãt. Quis .n. ſapientiæ, doctrinæue multiplicis vſus eſſet, niſi oratione elegãti, perſpicua et decora ſingula exponerentur? Nullis profectò de rebus in Eccleſia & ſcholis homines rectè doceri & erudiri, nullę Reſpublicę diu cõſtare ſine hac poſſent: Taceo, quòd ſola eloquentia hominẽ dignũ nomine ſuo facit. Sola enim ratione & oratione homo differt à brutis. Ore quidẽ omnes præditi ſunt, ſed ad ſatisfaciendum nomini & expectationi ſuæ vlterius requiritur, vt quis aptè de re propoſita dicere & loqui poſsit. Eloquentiam igitur qui excolunt, ab ea mortales quodammodo Dŋ, veriq; homines efficiũtur: Vnde Diogenes Cynicus quodam tempore lucernã accenſam in forum detulit clariſsima luce, quærenti

 ſimi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

ſimilis. Rogantibus, quid ageret? Homines ſe quęrere aiebat: Notans eos, qui artibus hiſce, maximè verò copioſè diſſerendi facultate præditi & expoliti non eſſent, nomine ſuo vix dignos.

Magna inſuper vis eſt eloquentiæ. Nã præcipuæ actiones & officia oratione gubernantur & expediuntur: adeò quidem, vt ſine mediocri dicendi, vel ſcribendi facultate, nemo, hoc præſertim ſeculo, vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ cum laude vſui eſſe poſsit. In Eccleſia, cùm multorum ne dicam errores, ſed potius furores, qui ſubinde oriuntur, perſpicua oratione ſæpe refutandi, ac veræ ſententiæ explicãdæ ſint. In ciuili verò vitę conſuetudine, in forenſibus actionibus, conſultationibus, legationibus, & alijs his ſimilibus, ſolam eloquẽtiam dominari manifeſtius eſt, quàm vt vlla demonſtratione opus habeat. Non ſolùm autem eloquentiæ vtilitates quodammodo infinitę, ſed etiam eius ſuauitas aliqua ex parte expendenda erit. Nemo quidem ſani iudicij homo inficias ire poteſt, ſummopere delectari homines & commoueri Poëſi, quemadmodum multa hinc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

hinc inde in fabulis Poëtarũ, maximè ve-
rò exemplũ Tyrtęi oſtendit. Hic Archim-
broti filius, Poëta, & Tibicẽ, deformis qui-
dem aſpectu, Olymp. xxxv. floruit. La-
cones autem iam ter à Meſſenijs victi, au-
xilium ab Athenienſibus conſulto Ora-
culo petierunt. Athenienſes ergo Tyrtæ-
um eis in contemptum dederunt, cùm lu-
dimagiſter eſſet, (olim enim ex ſeruis Do-
mini ſuis liberis domi præceptores conſti-
tuere ſolebant, vt paſsim in Iure multis ex
locis apparet) claudus, luſcus, & ab omni-
bus irrideretur. At ille carmine militum
animos ita inflammauit, vt tandem Meſ-
ſanam expugnârint. Quapropter ciuitate
donatus eſt, & in tanta porrò fuit exiſti-
matione, vt quoties cum hoſte cõgreſſuri
eſſent, eius Poëmata canerent, & domi
Trichoriam ſaltationẽ ex eius præſcripto
exercerent. Sed animos hominum magis
moueri & excitari eloquentia: vel ex hoc
maximè perſpicuum eſt, quòd ipſi Poëtæ
Mercurium Iouis & Maiæ filium, ἑρμῆν
appellârũt, quaſi τῆς ἑρμηνείας, hoc eſt, inter-
pretationis, quę voce fit, autor eſſet: ac eum
Deorum nuncium fingebant: quoniã ſer-

mo illius diuinæ particulæ, quæ in nobis eſt, mentis videlicet, index exiſtit. Caput alato petaſo, pedes talaribus munientem: dextra caduceum gerentem, lateri Harpagem accinctum habentem. Caput autem huius alato petaſo tectum, ſymbolum eſt, omnes homines facultatis oratoriæ adminiculo indigere, tum in practica, tum in theorica vita. Hæc duplex: Occupatur enim vel ἐν ποιήσει, quam pedes talaribus inſignes denotant, vel ἐν πράξει, quæ media eſt inter Theoricam & Mechanicam vitam. Πράξεις autem ipſa πολιτικὴ, omne genus virtutum complectitur & vitiorum. Ad virtutis exercitationem, alij honeſtate, alij metu, & formidine incitantur, iuxta illud:

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Honeſtatem caduceus ſignificat, cui gemini angues implicati ſunt: quandoquidem prudentia virtutes omnes moderatur. Metum & formidinem Harpax denotat, lateri accinctus. Qui enim ſponte rectè monitis obedire nolũt, hi vi compellendi ſunt. Caduceo mortuos ducit atque

redu-

reducit, hoc eſt, inſontes liberat, ſontes
damnat, ſomnos infert, atque adimit, po-
pulum modò ad pacem, modò ad bella
hortatur. Elegantiſsimè ſanè hac pictu-
ra eloquentiæ natura & proprietas ex-
preſſa eſt. Proprium enim oratoris offi-
cium eſt hortari, dehortari, laudare, vi-
tuperare, accuſare, defendere, perſuadere,
diſſuadere, ac quò velit, quaſi vi quadam
hominum animos impellere. Galli verò
non Mercurio, ſed Herculi, vt prodit in
præfatione quadam Lucianus, & Alcia-
tus in Emblemat. ſuis, quē ſua lingua Og-
mium vocant, eloquentiæ laudem tribu-
unt. Atq; huius ſimulachrum monſtro-
ſum & alienum repræſentant. Fingunt
eum ſenem eſſe, inculta, glabraq; canicie,
obrugata cute, et nigro admodum colore,
vt marinos nautas eſſe, compertum habe-
mus. Eiuſmodi cùm ſit, tamen Herculis
cultum gerit. Amictus enim eſt exuuio
leonis, dextra clauam tenet, ſiniſtra pro-
tenſum arcum prætendit, pharetra ab hu-
meris ſuſpenſa: deniq; omni ex parte Her-
cules eſt. Verùm quod in imagine maxi-
mè mirum eſt, ſenex ille confertiſsimam
quan-

quandam hominum multitudinem auri-
bus vinctis trahit. Vincula autem ſunt te-
nues quædam catenulæ, linguæ extremo
apici annexæ, auro, electroqꝫ fabrefactæ,
ſpirulis collaribus pulcherrimis ſimiles.
At hi tam exilibus vinculis ducti, ne de
fuga quidem cogitant, tametſi facile poſ-
ſint: nec omnino reſtitant, aut pedibus in
diuerſum renituntur, quaſi reſupinantes:
ſed hilares, lætiqꝫ ſuum ductorem ſequun-
tur, ſponte feſtinantes omnes, vt ſtudio
perueniendi, laxa etiam vincula relin-
quant, perinde ac triſtes futuri, ſi eis exi-
merentur. Scite admodum bene dicendi
facultas in hoc Hercule expreſſa eſt. Se-
nex enim fingitur, quoniam eloquentia
non niſi matura ætate vires ſuas exerit:
iuniorum mentes inſtabiles & volucres
eam aſſequi non poſſunt. Senes autem &
melius res intelligunt, vſuqꝫ edocti, com-
modius dicunt. Hinc Homerus Neſto-
rem ſuum deſcribens, ex eius lingua mel
fluxiſſe dicit. Hoc idem denotant etiam
catenulæ Herculis, quibus ſignificatur
ipſa orationis ſuauitas, qua homines capti,
ſponte ſequuntur. Hac igitur inſtructi
qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

qui ſunt, maius omnibus Tyrannis im-
perium in homines obtinent. Siquidem
Tyranni hominum corpora et vitam con-
ſtringere: animis adhibere nullã vim poſ-
ſunt. Hi verò dominãtur in animis, quæq;
ipſis honeſta & vtilia videntur, ea non fa-
cere modò alios, ſed etiam velle cogunt.
Illi inuitis imperant: hi volentibus. Illi &
oderunt omnes, & odioſi ſunt omnibus:
hos in omne humanũ genus beneficos,
perpetua omnium beneuolentia comita-
tur. Hinc Plato in Philebo ait: Perſuaden-
di facundiam artibus cunctis præcellere:
quippe quæ cuncta non vi, ſed ſpontè ſibi
ſubijciat. Hæc (vt Cicero, multiq; alij au-
tores ſunt) initiò genus humanum in ſyl-
uis & montibus diſsipatum, & beſtiarum
more vagabundum, nec ratione quicquã,
ſed viribus corporis plæraq; adminiſtrans,
mœnibus primùm ſepſit, & ex feris im-
manibus, mite reddidit & mãſuetum. Ar-
mis etiam varijs inſtructus eſt ſenex, vt
nolentes & reluctantes, vi armorum, vel
veriùs argumentorum, compeſcere, calu-
mniatoribus et hoſtibus commodè obuia-
re, eosq; refellere poſsit. At his tam crebrò
non

non vtitur,ſed plæriq; volentes obediunt. Quo ſignificatur, Eloquentiam non tantùm ſtudio Poëtico, ſed & rei militari longè antecellere, eiusq; maiorem in omni vitæ genere vſum eſſe. Nam mundus pręcipuè ab his duobus ordinibus regitur & defenditur, ab oratoribus (qui, vt Cicero inquit, pacatis rebus primùm ſemper in Republica locum tenuerunt) in toga & tranquillitate, & à militibus in bello: ipſos tamen conſilio & ſententijs ſapientum Senatorum gubernari opus eſt. Vt autem inter Aquilam & Cygnum ſcribitur natiuum odium eſſe: ita inter hos duos ordines hominum, doctores & milites, perpetua certamina fuerunt, ſunt & erunt omnibus temporibus de conſeruatione Reipublicæ. Nam bellatores illi in aulis Regum & Principum ſe ſolos iudicant Atlantes eſſe, qui Rempublicam ſuis humeris ſuſtineant, & quorum robore ac viribus, Regum, Principum, ac totius Reipublicæ ſalus nitatur. Sed palmam obtinent oratores, qui prudentia, conſilijs, eloquentia, moderatione animi, patientia, humanitate, & reliquis virtutibus antecellũt:

cũ milites tantùm claua & arcu Rempu-
blicam iuuent. Multi quidem in Repub.
Romana magno cum applauſu populi
triumphârunt: ſed nemo vnquam maiori
cum laude, quàm Cicero, qui armatos to-
gatus, diligentia, conſilijsq; ſuis vicit. Itaq;
non inconuenienter ab eo pronunciatũ:
Cedant arma togæ, concedat laurea lin-
guæ. Atq; vt ſummatim dicam: tanta eſt
(Cicerone in Oratore conſentiente) ob-
lectatio in ipſa facultate dicendi, vt nihil
hominum auribus aut mentibus iucundi-
us percipi poſsit. Quis enim cantus mo-
deratæ orationis pronunciatione dulcior
inueniri poteſt? Quod carmen artificioſa
verborum concluſione aptius? Qui actor
in imitanda, quàm orator bonus in ſuſci-
pienda veritate iucundior? Quę cùm citra
controuerſiã ita ſe habeant, meritò prin-
cipem locum, primariamq; laudem nobi-
liſsimo Deorum muneri, Eloquentiæ vi-
delicet, tribuimus. Atq; hæc ita eſſe, vel in-
de ſatis probari poteſt. Videmus enim, &
experientia quotidiana teſtatur, Politicos,
Generoſos & graues Viros, in conſulta-
tionibus & deliberationibus difficilimis,
maxi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

maximiq́ꝫ momenti, non tam delectari, quàm de neceſsitate ſoluto orationis genere vti, eumq́ꝫ pro præſtantiſsimo viro haberi, qui ornatiſsimè res ſapienter mente conceptas eloqui poteſt. Si quis verò carminibus ſua conſilia proponere et probare vellet, pro hiſtrione aut geſticulatore potiùs, quàm pro eo, qui diſerta oratione ſe expedire poſſet, haberetur. Sed quid multis moror? Hæc ars tanta eſt, vt ſi eam laudare ſuſciperem, nebulas potiùs obducerem, quàm vt pro dignitate commendarem. Hæc eſt illa vitæ dux, pacis comes, ocij ſocia, & iam benè conſtitutæ ciuitatis quaſi alumna. Hæc rerum domina, quæ ſemper vrbanis pacatiſq́ꝫ rebus tenuit primas. Huius ope omnia inuenta & conſtituta ſunt: hæc nos ad res gerendas erudijt, & animos noſtros manſuefecit, et calamitates tã ex inſcitia ortas, quàm neceſsitate importatas diſtinxit, atq́ꝫ illas cauere, has pulchrè ferre docuit, mortiſq́ꝫ pericula, & mortem abigit. De hac igitur contumelioſè qui loquuntur, odio & ſupplicio minori digni non ſunt, quàm qui fana Deûm immortalium violant. Nullæ enim Eccleſiæ, Scho-

ſiæ, Scholæ, & Reſpublicæ ſine hàc ſubſiſtere poſſunt: Imò nulla nec publica, nec priuata conſuetudo & ſocietas.

Hac igitur tanta Eloquentiæ ſuauitate, vtilitate atq; neceſsitate allectus, cùm hoc & Patriæ meę dulciſsimę ſalus & incolumitas, & Domini mei parentis paterna, dulciſsimaq́; monita (quibus non obtemperare nefas ſemper duxi) efflagitent, tum etiam quia magis animus meus huius, quàm reliquarum artium omnium, amore flagret, ſtatim à primis ſtudiorum incunabulis me totum Oratoriæ facultatis ſtudio addixi, eiq́; animum meum applicaui, & hoc egi, ac deinceps ſemper acturus ſum, vt ſi non integram & perfectam cognitionem, aliquam ſaltem vmbram eloquentiæ conſequi poſsim. Sed omiſſa longiori commendatione ſtudij Eloquentiæ, eiusq́; cũ arte Poëtica collatione, tum etiam commemoratione conſilij, cur ſtudio oratorio potiùs, quàm alijs ſtudijs liberalibus aliquantulum operæ & laboris in hac mea Adoleſcentia tribuere authoritate mei parentis conſtituerim, ad ea quæ magis neceſſaria, & mei inſtituti propria ſunt, me in præſentia conuertere malo.

Vetuſtiſsimus, laudatiſsimusq́ꝫ mos eſt, iam multis ab hinc temporibus approbatus, amicis, quibus benè cupimus, rebus pro voto ſuccedentibus, collætari. Qui mos, vt antiquiſsimus, ita etiam honeſtiſsimus, bonisq́ꝫ omnibus conuenientiſsimus. Nullum enim dubium eſt, ſimul cum homine hunc ritum cœpiſſe, atque ab antiquitate ſacratum, & ad omnem poſteritatem tranſmiſſum eſſe. Nihil etiam tam naturæ aptum & conueniens, quàm amico, cui ſi non vis, tamen tam benè vt tibiipſi velle debebis, in re proſpera congaudere. Et vt iuſtum eſt, aduerſis dolere: ita etiam ſecundis ſeu proſperis exultare. Hinc Orator diſertiſsimus ille Iſocrates ad Demonicum iubet illos eligendos eſſe familiares, qui non ſolùm aduerſa doleãt, ſed etiam ſecundis non inuideant.

Cùm igitur, chariſsime & doctiſsime Domine Iohannes Oldorphi, hodierno die ab Ampliſsimo Collegio Philoſophico Academiæ Tubingenſis, honores gradus Magiſterij in te collati ſint: et amicorũ proprium ſit, iis quos charos habemus, & quibus fauemus, quoties aliquo honoris gra-

ris gradu, vel in facultatibus, vel artibus ornantur, carmina gratulatoria ſcribere & dedicare: cùm alia dona quibus gratificari poſsimus, non habeamus: decreui veterum factum imitator non ocioſus aſſectari, & gaudium ex tua felicitate conceptum, erga te conterraneum & amicum meum fideliſsimum, aliquo ſigno declarare.

Verſus autem à me non eſt quòd expectes. A natura enim, vt paulò antè commemoraui, animus meus magis delectatur flumine orationis Oratorio, quàm Poëtico. Referam igitur breuiter nonnihil de cauſis conſilij Maiorum noſtrorum, cur certos gradus honorum, qui in diſcentes conferri ſolent, inſtituerint: in quarum commemoratione, ſi non aliqua ingenij dexteritate ſingulari proceſſerim, aut appoſitè ſatis de ijs ſcripſerim: te conatu & ſtudio meo perexiguo contentum fore, planè confido.

Nouitius enim ſum atq; Tyro oratoriæ artis, qui ex inſcitiæ tenebris pedem vix moui, promoui ferè nihil. Benignè itaq; mecum agetur, ſi hunc meũ conatũ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

tu & alij boni ac docti viri approbauerint. Quapropter conſuetudine magis, quàm quòd neceſſarium iudicem, à te peto, mihi exigui temporis attentionem ne deneges, & hanc gratulationem ab adoleſcente, rerum variarum experientia & iudicio deſtituto, candido animo perlegas. Neq; me arrogantiæ ſtimulis, aut oſtentandi ingenij cauſa incitatum, in hanc arenam deſcendiſſe exiſtimes: ſed officio amicis debito, & præſentium honorum, quibus ampliſsimus Senatus huius Academiæ te hodierna die ornare voluit, occaſione adductum, ſcribendi munus in me recepiſſe: à quo facilè abſtinuiſſem, niſi ſumma de tua ſingulari in me beneuolentia concepta ſpes me eò impuliſſet. Etſi autem, vt dictum eſt, conſtitui, primo loco de conſilio Maiorum, cur gradus honorum in Scholis excogitârint, agere: tamen cùm neceſſariam Scholarum, in quibus bonæ artes, quæ honorum cauſæ ſunt, proponuntur & perdiſcuntur, mentionem faciendam eſſe intelligam: repetito paulò altius principio, de ijs diſpiciam, atq; de earum initijs, & progreſſu, pauca quàm breuiſsimè referam. Deus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Deus ter Opt. Max. omnium rerum creator, conſeruatorq́ benigniſsimus, cùm in principio cœlum, terram, maria, cæteraq́ omnia, quæ in ijs ſunt, creaſſet, vltimo loco hominem ad imaginem ſuam formauit: nempe iuſtum, ſanctum, & in ſumma, nulla ſapientia vel virtute indigentem, eumq́ in Paradiſum collocauit, & dominum cæterarum creaturarum omnium conſtituit: addito mandato, vt omnibus fructibus Paradiſi veſceretur, excepto ligno vitæ, vel arbore ſcientiæ boni & mali. Deceptus aũt aſtutia ſerpentis, cùm mandatum creatoris ſui tranſgreſſus eſſet, non ſolùm ex horto voluptatis eiectus, ſed etiam omnibus dotibus, quibus antea ornatus erat, priuatus, æternæ damnationi, morti, & Diabolo ſubiectus eſt. Hinc igitur humani generis calamitates vniuerſæ proceſſerunt. Extincta ferè eſt omnis notitia DEI, omnes virtutes labefactatæ ſunt: in ſapientiæ locum ſucceſsit inſcitia & ignorantia: in locum iuſtitiæ, ſucceſsit iniuſtitia, cùm homo ante lapſum fuerit amans virtutum omnium, caſtitatis, iuſtitiæ, veritatis, & aliarum, poſt

lapſum̄ ab his virtutibus ad vitia degene-
rauit. Cùm autem vidiſſet homo, in quas
calamitates ſe coniecisſet, atq; grauiter de
ſuis malis doleret, nec in conſpectum Dei
venire auſus eſſet: creator vltrò eum in
gratiam recepit, ac conſolatus eſt promiſ-
ſione venturi ſeminis, quod contriturum
eſſet caput ſerpentis, & iuſtitiam vitamq;
æternam reſtituturum.

Hîc prima ſchola in Paradiſo inſtituta
eſt, fuitq; hæc prima lectio & profeſsio,
quę vnquam propoſita eſt à tempore con-
diti Mundi, Præceptore videlicet ipſo
Deo, qui Adamum diſcipulum ſuum de
voluntate ſua docuit. Atque vt aliȷs etiam
Adami ſucceſſoribus de hac ipſa promiſ-
ſione & doctrina aliquid conſtaret, ſtatim
Dei inſtinctu artęs & literæ, quæ ad huius
doctrinæ conſeruationem neceſſariò re-
quirebantur, inuentæ ſunt. Teſtatur enim
Ioſephus, Adamum duas tabulas lapideas
collocaſſe, in quibus annotauit hominum
lapſum, atque promiſsionem poſt lapſum
factam.

Hæ tabulæ, fuerunt velut templum ac
Schola, vbi conuenire, & veram doctrinā
percipe-

percipere primi homines ſolebant. Eſt itaque ipſe Deus primus autor & fundator ſcholarum. Qui igitur ſcholas contemnit, ſciat, ſe Deum ipſum, eiusq́; ordinationem contemnere. Sed ſicut Scholas Deus fundauit: ita eis etiam incrementum dedit. Conceſsit enim Patribus vitam longæuam, vt eſſent de continuis patefactionibus, de forma, collectione & defenſione Eccleſiæ teſtes, & propagatores, illuſtratoresq́; doctrinæ: donec tandem in populo ſuo poſt eductionem ex Ægypto in terram Chanaan Patribus promiſſam, pulcherrimũ Collegium Sacerdotum & Leuitarum conſtituit, qui ad tempus doctrinæ diuinitus propoſitæ, cuſtodes & interpretes fuerunt. Poſtea Prophetæ magna diſcipulorum agmina ſecum circumduxerunt, ferè vſq; ad Chriſtum. Chriſtus autem ipſe verus Eccleſiæ & ſcholæ ſuæ Doctor ferè per quadriennium docuit: Ac cùm in cœlum aſcendiſſet, diſcipulos ſuos miſit in mundum vniuerſum, vt & ÿ prædicarent Euangelium omni creaturæ. Hi & ſuos habuerunt ſcholaſticos, & Scholam Epheſi habuiſſe Iohannem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Euangeliſtam teſtantur diſcipuli : Polycarpus, Papias & Ignatius. Similiter Paulus varijs in locis docuit, auditoresq́ eius fuêre Titus, Timotheus, & alij: vt ex Pauli Apoſtoli Epiſtolis manifeſtum eſt. Omnes deniq; alij Apoſtoli, hinc inde in diuerſis plagis terræ profeſsi ſunt. Poſt tempora verò Apoſtolorum Chriſtiani ſcholas ſuas Alexandriæ inſtituerunt, quibus præfuerunt Pantæus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionyſius, & alij viri, non in ſacris tantùm, ſed profanis ſcientijs doctiſsimi, peritiſsimiq́;, quos Catechiſtas vocabant, à præcipua, & maximè neceſſaria parte inſtitutionis Chriſtianæ. Baſilius Alexandriam officinam pulcherrimam vniuerſæ doctrinæ nominat. Huic ſucceſſerunt Antiochena, Byzantina, Cæſarienſis, multæq́; aliæ, quibus Deus idoneos Doctores dedit. Poſtea hinc inde conditæ ſunt Scholæ & Monaſteria, Academiæq́;, de quibus poſteamonebo.

Hoſtis autem humani generis infenſiſsimus Diabolus, cùm ſemel hominem de ſummo dignitatis gradu deturbaſſet, & Deo inuiſum reddidiſſet, inſuper animaduertiſſet

uertiſſet eum denuò recipi in gratiam, & conſolatione ac doctrina, Sathanæ maximè exitioſa, erigi & confirmari, acerbior quàm antea vnquam fuerat, euaſit: ac qua ratione hanc ipſam doctrinam diuinitus traditam, & eius Profeſſores ſeu defenſores tollere poſſet, machinatus eſt. Incitauit ergo ſecundum hominem Cainum, vt fratrem ſuum Abelem, qui quaſi cuſtos huius doctrinæ poſt patrem Adamum mortuum futurus erat, interimeret. Hoc facinus cùm perpetraſſet, planè ἄθεος factus eſt, ac à patre ſuo religionéq; vera defecit, alios cultus & ritus inuenit, ſectamq́; propriam habuit: ſed in ſuam & ſuorum maximam perniciem, vt ſacri Canones apertè teſtantur. Huius proles, tanquam coruus malus ex malo ouo proueniens (κακῦ κόρακος, κακὸν ὠὸν, vt Græci loquuntur) ſemper veram Eccleſiam contempſit, perſecutaq́; eſt. Quapropter etiam omnes diluuio perierunt, ſeruatis interea octo animabus in Arca Nohæ, quæ vera Eccleſia fuerunt. Sed & inter hos vnus Apoſtata factus eſt: Cham videlicet, cuius poſteri poſtea Eccleſiam afflixerũt, eiusq́;

Antagoniſtæ fuerunt. Durauit hoc ipſum certamen vſq; ad Abraham, qui cum ſua poſteritate grauiſsimas perſecutiones paſſus eſt, quas omnes recenſere perlongum foret.

Exhibito autem Chriſto & promiſsionibus de Meſsia impletis, tum primùm Diabolus neruos omnes intendit, vt Eccleſias & Scholas, quæ nobis veram de Chriſto doctrinam conſeruant, & tutiſsimum contra eos, qui nos perdere conantur, propugnaculũ ſunt, extirparet. Quot proh Deûm atq; hominum fidem ille Tyrannos, quot Hęreticos excitauit? Duodecim Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ perſecutiones, ſi modò ſpectare velimus: abundè ſatis hoc demonſtrãt: quarum prima fuit Apoſtolorũ, & horum auditorum Hieroſolymis, qui à Iudæis exacti cauſa fuère ſaluandorum Ethnicorum.

Secunda à Nerone mota, qui publicis edictis per prouincias Chriſtianos mandauit excruciari, ipſe eos beſtijs ſubiecit, igni & ferro adiudicauit, & crudeliter in eos ſęuijt. Cùm verò Eccleſia aliquantulum reſpiraſſet ſub Veſpaſiano Imperatore, tertiam

am Domitianus in Chriſtianos perſecu-
tionem molitus eſt, D. Iohannem Euan-
geliſtam in Pathmum Inſulam relegauit,
& ſub eo Timotheus & Dionyſius Areo-
pagita Martyrio affecti ſunt. Mox tamen
ſub Nerua Eccleſia vno anno quieuit.
Traianus autẽ, qui Neruę ſucceſsit, quar-
to perſecutionẽ Chriſtianam renouauit.
Hæc perſecutio annos XIIII. durauit, ab
initio leuis, poſtea ſenſim creuit, ita vt qui
vel ſuſpecti tantùm de Chriſtianiſmo eſ-
ſent, ad cædem per prouincias raperentur.
M. Antonius & Commodus quintæ per-
ſecutionis Chriſtianorũ autores fuerunt,
durauitq; hæc ipſa ad bellum Marcoman-
nicum vſq; : vbi Romanæ legiones ab ho-
ſtibus circumuentæ, cùm extrema ſiti la-
borarent, Chriſtianis precibus ad Deum
fuſis, imbrẽ copioſiſsimum impetrârunt &
fulmina in hoſtilẽ aciẽ à Deo directa ſunt.
Vnde hęc legio Chriſtianorũ poſtea fulmi-
natrix dicta eſt: eoq; miraculo motus Im-
perator, edixit, ne quis Chriſtianũ religio-
nis nomine deferret: delatus impunè ſuã
fateretur religionẽ: delator viuus cõbure-
retur. Seuerus Pertinax ſextus Tyrannus
fuit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

fuit. Septimus Maximinus. Octauus De-
cius. Nonus Valerianus. Decimꝰ Aurelia-
nus. Diocletianus vndecimus & ſæuiſsi-
mus, hic templa euertit, libros ſacros com-
buſsit, Chriſtianos Magiſtratu abdicauit,
& in ſeruitutem adduxit, omniq́ꝫ genere
ſuppliciorum affecit, ac intra paucos dies
170000. Chriſtianorum trucidauit, & in
vtrumq́ꝫ ſexum tam horribiliter graſſatus
eſt, vt ſine lachrymis & pudore vix legi
aut referri poſsit. Duodecimò, tres, Ma-
xentius, Licinius, & Maximianus, ſimul
Chriſtianos inſectati ſunt, quibus meritò
è medio ſublatis, Conſtantinus ſolus re-
rum potitur, qui certam & ſtabilem Chri-
ſtianis pacem reſtituit. Mortuo autem
Conſtantino, Iulianus Apoſtata, Chriſtia-
nos longè alia & magis diuerſa ratione
quàm ſuperiores Imperatores, perſequi
cœpit. Nam cùm ſupplicijs eos minimè
frangi, ſed potiùs confirmari animad-
uertiſſet, primò quidem Chriſtianorum
filijs literarum cultum interdixit, adijci-
ens: ὀικείοις πτεροῖς βαλλόμεθα, proprijs pen-
nis ferimur: exiſtimans, id quod res erat,
eruditione ſummota, religionis doctri-

nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

nam facile interituram. Videbat enim illos diſciplinis inſtructos plurimùm gentilium ſuperſtitioni officere, nec Ethnicam religionem artibus defendi & tueri poſſe. Cauit itaq; ,ne amplius Chriſtiani erudirentur: hac ratione ſperans fore, vt Idiotæ permanerent, eoq; facilius ad Idololatriam deficerent.

Fuerunt & aliæ inſuper multæ perſecutiones Chriſtianorum, ſed harum exempli gratia in præſentia meminiſſe, ſufficere mihi videtur. Non ſolùm autem Eccleſias & Scholas Diabolus, qui mille artifex eſt, Tyrannis vexauit, ſed etiam per Hæreticos, qui praua & impia dogmata in Eccleſiam & Scholas inuexerunt, horribiliter turbauit & deuaſtauit. Ex horum numero fuêre Simon Magus, eiusq; diſcipuli, Cerinthus, Eubion, Samoſatenus, Arrius, Manichæi, Tacianus, Carpocrates, Pelagius, & multi alij, quorum inſtituta, & quomodo refutati ſint, his, qui hiſtorias diligenter conſiderant, ignota eſſe non poſſunt, ac hîc percenſere nimis longum foret.

Ex his autem, quæ iam breuiter commemoraui,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

memoraui, manifeſtè conſpicitur, quàm mirabiliter Deus Opt. Max. Eccleſiam & ſcholas omnibus temporibus contra Diaboli ac Tyrannorum inſultus, & Hæreticorum technas protexerit. Qui verò noſtra tempora inſpicere velit, non diſsimilia exempla inueniet.

Hæ verò & ſimiles perſecutiones Chriſtianorum horribiles, cauſam præbuerunt ſeceſsibus & Monachatui. In hiſce enim Eccleſiarum & Rerumpub. dilacerationibus, cùm viderent homines, peculiarem felicitatem eſſe, abeſſe à Repub. & procul in aliqua ſolitudine degere ſine familia & liberis, non ſpectare Eccleſiæ, vrbiumùe excidia: Eremitis ſuam tranquillitatem gratulabantur, ac facilè hunc ordinem admirabantur, cùm præ ſe ferret ſpecimen eximiæ pietatis, & cuiuſdam quaſi commercij cum Deo, longiusq́ à periculis abeſſet. Primus itaque poſt tempora Apoſtolorum Eremita, (à quo poſtea Monachi proceſſerunt) fuiſſe memoratur Paulus Thebœus, qui Decij & Valerij perſecutionem fugiens, annorum XVI. adoleſcens, deſerta colere cœpit: ac inuenta in

montis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

montis radicibus ſaxea ſpelunca, quã iuxtà molliter fluẽs riuulus, terram irrigabat, & effuſis deſuper ramorum vmbraculis, palma Solis arcebat ardores. Captus itaqȝ amœnitate loci, vbi latêre cõcupierat, habitare ibidem cœpit, in tantum, vt cùm CXIII. vixiſſet annos, nuſquam inde diſceſſerit, hominemque nunquam viderit: præterquam die vitæ ſupremo, Antonium iam nonagenarium, & ſuæ ſectæ, diuinitus monitum, à quo humatus eſt. Palmæ primò fructibus nutritus eſt, deinde per annos LX. dimidiati panis fragmẽtum ſingulis diebus comedit, coruo miniſtrante. Hunc ſecutus eſt Antonius Ægyptius, Nobilibus ortus parẽtibus, & Chriſtianis, qui ſcripturas etiamſi literas nunquam didiciſſet, memoriter tenuit. Parentibus defunctis ipſe annum agens circiter XX. cum ſorore admodum paruula orbus relictus eſt, ac primùm tum ſororis, tum domus curam ſuſcepit.

Sed cùm in Eccleſia concionantem fortè audiuiſſet recitare dictum Euangelicum: Si vis perfectus eſſe, vade, ac vende omnia bona tua, ac da pauperibus, & veni ac

ſequere

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

ſequere me: ad ſe dictum illum accom̃modauit, atq; quæ habuit hæreditate, vendidit, & inter pauperes diſtribuit, ſorori parua parte reſeruata: Monaſticam vitam primus in Ægypto ſectari cœpit, ſæpe eum de magnis rebus conſuluit Conſtantinus Magnus, ſæpe etiam ad componendas cõtrouerſias vrbes petijt. Contra Hæreticos pro Athanaſio acriter diſputauit. Cùm annum XXXV. ageret, Eremum adijt, multas Dæmonum inſidias inſuper & verbera paſſus eſt. Hinc cùm in ſolitudine XX. annos peregiſſet, vi eductus, Abbas creatus, obſtructis Monaſterij foribus, manere cœpit, panem & aquam pro victu habuit, circa occaſum Solis prandere ſolebat, cùm ſæpe plures dies ieiunaſſet: vigilabat noctes integras, precationi vacans, cubabat humi, nec vnctiones, nec balnea curans. Vnde colligitur, huius Antonij tempore, Monaſteria iam conſtituta fuiſſe. Habuit hic aliquot diſcipulos, qui poſtea ipſius vitam & doctrinam obſeruarunt. Ac ita paulatim Monaſteria, Monachorumq; ſectę inualuerunt. Nam vt commercia cum hominibus &

conſuetu-

conſuetudinem habere deuitarent: bona ſua cognatis concedebant: extra muros vrbium in agris ſolitarijs & hortis ætatem degebant: ſacras ædes illic, quę Monaſteria vocârunt, conſtituebant, in quibus ab alijs ſeparati, ſanctæ & ſeueræ vitæ myſteria obibãt: Deum aſsiduè Pſalmis & hymnis colebant, & ante Solis occaſum nullum cibum guſtabant.

Progreſſu verò temporis, ij qui Eccleſias & Scholas regere debebant, opulentiores facti, inter ſe vanæ gloriæ & curioſitatis deteſtandæ ſtudio faſcinati, de primatu diſceptare cœperunt, & pro pietate, ac honeſto vitæ inſtituto, quæ duo maximè illis curæ eſſe debuiſſent, de ambitione, luxu, helluatione: in Aulis inſuper Regum & Principum, de ſplendore, & politica gubernatione ſoliciti fuerunt: interim doctrina Chriſti & Apoſtolorũ quaſi in principio curſus ferè collapſa eſt.

Conſiderantes itaq; Monachorum dogma (quod adhuc purum erat) homines ſapientes, eorumq; vita & diſciplina exactè probata, labentem Eccleſiæ diſciplinam fulcire, atque ad ſeueriorem viuendi ra-

tionem reuocare eoſdem voluiſſe conſentaneum eſt. Quæ res cùm à bonis mentibus, amore pietatis & veræ doctrinæ flagrantibus, probaretur, citò Monachorum ſectæ concurſu magnæ multitudinis creuerunt. Inſtituta igitur ita ſunt Monaſteria, vt loco ſcholarum eſſent, in quibus homines de Deo & alijs rebus vtilibus erudirentur. Quod cùm vtile pietati & moribus publicis videretur, Maiores laudabili ſtudio ea locupletarunt, ne deeſſent ſumptus neceſſarij docentibus & diſcentibus, hoc potiſsimùm conſilio, vt in ijs puritas cœleſtis doctrinæ doceretur, & propagaretur, & omnes bonæ & liberales artes ad refutãdos hæreticos, vel alias hominum vitæ neceſſariæ, perdiſcerentur, atq; homines in moribus informarentur, vt caſu neceſsitatis, cùm opus eſſet, in Monaſterijs ſtatim in promptu haberi poſſent perſonæ idoneæ, quæ vtiliter & cum fructu Eccleſijs vel Reipublicæ præficerentur. Sicuti conſtat, tempore Leodij circa annum Chriſti 1473. nouem Regum, XXIIII. Ducum, XIX. Comitum filios, ſimul operam literis bonis nauaſſe,

exce-

exceptis Baronum, Nobilium, & aliorum
liberis, quorum numerus infinitus quo-
dammodo fuit. Poſtea verò factum eſt,
quòd (vt D. Bernhardus quodam in loco
queritur) Religio pepererit diuitias, & fi-
lia deuorarit matrem. Nam eximia Re-
gum, Principum, & aliorum munificentia
locupletatis Monaſteriјs, cùm accederent
multi indocti & ignaui ad docendum, in
tanta opum & voluptatum affluentia labo
res ſtudiorum viciſſim negligi cœperunt.
Conuerterunt enim Monachi ſe ad ſtudi-
um defendendi primatus & Tyrannidis
Pontificum, quæ tunc temporis non pa-
rum inualuit: aliud et prorſus nouum ve-
ræq; doctrinæ Chriſti contrarium dogma
inuenerunt & fabricarunt, præſenti Mo-
narchiæ Pontificum veriùs, quàm regno
Chriſti aptum & conueniens, nullumq;
veræ doctrinæ articulum ferè incorru-
ptum reliquerunt. Introduxerunt enim
adorationem ſtatuarum, quæ Barbaris
grata fuit, quoniam hac ratione regnum
& potentiam ſuam faciliùs creſcere poſſe
animaduerterunt. Irrepſit etiam in Eccle-
ſiam opinio de oblatione corporis Chri-

ſti facienda pro viuis & mortuis: doctrina de lege, de peccato, & iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo, falſa & erronea ab ijs tradita eſt: deniq; multi, infiniti, & in Deum contumelioſi & blaſphemi errores in Eccleſia citra omnem pudorem cumulati ſunt. Impudenter vitę Monaſticæ genus inſtitutum eſſe prædicârunt, ad promerendam remiſsionem peccatorum, & iuſtitiam æternam conſequendam. Finxerunt etiam, vitam Monaſticam eſſe ſtatum perfectionis, ac longè eũdem euexerunt ſupra alia vitæ genera à Deo ordinata. Onerârunt quoq; non leuiter conſcientias mandato confeſsionis, & laqueis implicârunt enumerationis omnium peccatorum: Abſolutioni detraxerunt efficaciam omnem, cùm negârunt prodeſſe eam ſine meritis præcedentibus, & præceperunt manendum eſſe in perpetua dubitatione. Præterea, impoſuerunt certorum operum neceſsitatem confeſsis, & introduxerunt humana autoritate expiationes peccatorum, quas ſatisfactiones vocârunt pro peccatis ad promerendam liberationẽ à pœnis æternis. Quæ omnia & ſingula,
postea

poſtea pepererunt et auxerunt alias nouas opiniones, pleniſsimas mendacij & impietatis, de votis Monachorum, de applicatione Miſſæ pro viuis & mortuis, de peregrinationibus ad loca ſancta, de Indulgẽtijs, de Purgatorio, & ſimiles alias ſuperſtitiones inanium operum, diſcriminis ciborum, dierum, veſtium, ieiuniorum, & aliarum traditionum humanarum. Natæ ſunt & plurimæ Monachorum familiæ, veræ pietatis Chriſtianæ et diſciplinarũ, ac liberalium artium peſtes publicæ, et vt ſuperſtitio fœcunda eſt, & errorem ex errore parit: ita vana ὑποκρίσεως ſpecie in admirationem adductæ, partu fœcũdiſsimo ita ſeſe effuderunt, vt paucorum annorum ſpacio prouentu penè incredibili, ſed varietate monſtroſa in omnes orbis terrarum angulos ſeſe diſſeminârint, & in aulis, gynæceis atque vrbibus penè ſoli dominati ſint. Onerârunt etiam multis ceremonijs Eccleſias, quæ pietatem et artes omnes oppreſſerunt. Interea Pontifices nouas leges, quæ ad ſtabiliendam ipſorum Monarchiam et ſuperſtitiones iam introductas facerent, conſtituerunt. Cumq́ꝫ nouo iuri ac

 legi-

legibus inuentis, nouis patronis ac defenſoribus opus eſſet, ſubitò exortum eſt duplex genus hominum: Canoniſtarum videlicet & Scholaſticorū, quorū illi ἱεραρχίαν & Tyrannidem Romanam propugnandā ſuſceperunt ex Canonū decretis: hi verò cōſuto nouo doctrinæ genere, ex malè detortis Scripturæ ſacræ locis, eoq́; cōfuſo cum Platonicis & Ariſtotelicis diſputationibus, & Pontificum Conſtitutionibus, labyrinthis inſuper inextricabilibus inuoluto, particulam doctrinæ cœleſtis, quæ adhuc ſupererat, planè obruebant, atque obrutam abolebant: Fuitq́; totū illud doctrinæ genus attemperatum ſuperſtitionibus Pontificum. Huius doctrinæ fundamēta Petrus Lombardus Magiſter ſententiarum contraxit in libros IIII. quibus excolendis illuſtrandisq́; ita occupata fuit deinceps omnis Scholaſticorum & Monachorum colluuies, vt præ illis Biblia ſacra è manibus, & penè ex animis illorum exciderint, atq́; in pulpitis et ſuggeſtis non Chriſti aut Pauli Apoſtoli, ſed Magiſtri Sententiarum nomen aſsiduè ſonuerit & exauditū fuerit. Interpretes deniq; Tho-

mas

mas Aquinas & Scotus, cùm inter ſe diu multumq́; certaſſent ſubtilitatibus, Eccleſiam ita quęſtionibus partim ineptis et ſtolidis, partim inextricabilibus replêrunt, vt vtrumq́; & Theologiam & Philoſophiam corruperint & polluerint, ſtatuentes, hominum animos hiſce laqueis vinctos in obedientia erga ſedem Romanam retineri poſſe. Fuerunt itaque ij, qui Eccleſijs & Monaſterijs, quæ tum inſtar Scholarum erant, præeſſe debebant, nihil aliud, quàm Pontificũ ſatellites, conſcientiarum carnifices, ſuperſtitionis barbaricæ architecti & antiſtites, omnis doctrinæ liberalioris iurati hoſtes, Monaſteriaq́;, quę in tam ſalutarem vſum extructa erant, latebræ hominum ineruditorum, refertæ mendacijs & Idololatria.

Animaduertentes igitur optimi quidam ac prudentiſsimi viri, ſic omnia in peius ruere, et Clericorum ordinem Regum & Principum munificentia turpiter abuti, Scholas verè ſic dictas conſtituerunt & reſtaurarũt, eisq́; à Græco σχολάζω, quod ocior ſignificat, nomen indiderunt, Latini ludos vocarunt. Nõ autem tale Scholaſti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

cum ocium eſt, quale pleriq; indocti Idiotæ ſibi ſomniant. Putant enim, Scholaſticos deſidia tempus tranſigere, atq; prorſus nihil laborare. Hi ſanè ita crocitant, quòd neſciant diſtinguere inter ocium liberale, & illiberale: inſuper etiam quid in Scholis agatur, ignorent. Ocium aliud eſt illiberale & inhoneſtum, aliud liberale & honeſtum: illud ſemper bono viro indignum: hoc illi digniſsimum & honeſtiſsimum: & hoc eſt Scholaſticorum proprium, qui cæteris rebus omiſsis, artibus liberalibus percipiẽdis vacãt. Suntq; nihil aliud Scholæ, quàm ſeminarium & officina Spiritus ſancti, voluntate Dei ordinatæ, vt in ijs doctrina generi humano neceſſaria de Deo & alijs rebus honeſtis doceatur, & diſcatur, ne extinguatur notitia Dei inter homines, ſed ſeruetur Eccleſia, & multi fiant hæredes vitæ æternæ, et habeant homines alias honeſtas vtilitates ex artibus.

Ex his, quę paucis ſaltem delibare volui, quanta ſit Scholarum & artium liberaliũ, quę in his proponuntur, dignitas, manifeſtè patet. Nulla, n. vitæ pars, neq; publicis, neq; priuatis in rebus, vacare hiſce artibus poteſt.

poteſt. Etenim ad munus Eccleſiaſticum quod attinet, artes ſunt velut adminicula & inſtrumenta, per quæ Theologia tractari debet & ſolet. Neq; enim perſpicuè doceri, neq; Hæretici dextrè refutari ſine his poſſunt. Adde, quòd cùm hebetes, & veræ doctrinæ ignari, ſine artium liberalium adminiculo ad Eccleſiam erudiendam accedunt, fit, vt quicquid ſine iudicio pronuncient, rectum eſſe omnino putent: atque hinc ſæpenumero doctrinarum magna confuſio oritur. Oportet igitur, vt quis prius diſcat, antequam doceat. Politiæ etiam nullo modo ſine Scholis & artibus diu conſtare poſſent. Qualis quæſo futura eſſet conſiliorum forenſium confuſio, & vt ita dicam, barbaries, ſi non extarent eruditæ leges? Conſuluntur itaq; in omnibus magnis negocijs Scholæ, & hæ pronunciant in cauſis, & ius dicunt. Quanto inſuper præſidio deſtituta eſſet vita humana, ſi Medicinam nemo diſceret? In quanta confuſione viuendum eſſet, ſi nulla tem porum diſcrimina, annotationes ſeu χρονολογίαι, quæ ex Aſtronomia, Mathematicis & Hiſtorijs petuntur, extarent? Quan-

to ornamento priuaremur, ſi Hiſtoria vitę Magiſtra ignoraretur? Quòd autem hæc omnia integra & incorrupta conſeruantur, hoc totum Scholis debemus.

Quamuis autem omnes illæ diſciplinæ quas paucis attingere volui, in Scholis, vt vocant, Triuialibus, iuuentuti proponi poſſent: attamen, ne tenera diſcentium ingenia, varijs & difficilimis artibus ſtatim in prima ætate obruerentur, & quodammodo in ſuſcepto ſtudiorum curſu impedirentur, ſapienti conſilio inuentæ ſunt Academiæ, vt eſſent generales quaſi Scholæ, in quibus ſuperiores facultates proponerentur, atque reliquæ artes fuſiùs adultioribus, & profectioris ætatis iuuenibus explicarentur. Sed hæc de Scholarum origine ac vtilitatibus dicta ſufficiant: nunc de gradibus honorum in Scholis receptis, tum etiam de cauſis, propter quas Maiores eoſdem introduxerunt, pauca referenda eſſe exiſtimo. Eſt enim hæc commemoratio vna ex principalibus huius mei ſcripti partibus.

Maiores noſtri non ſolùm, vt dictum eſt, Academias inſtaurârunt, verùm, quia

in Academĳs pleriqꝫ inſpectoribus, qui
ipſorum ſtudia & mores regere poſſent,
carent, ne ſuo quodam cæco more viuere
ſtudioſi inciperent, ac per varias artes ſine
diſcrimine vagarentur, ſapienter etiam de
ratione certa, qua intra ſtudiorum metas
diſcentes contineri poſſent, deliberârunt.
Viderunt enim, adoleſcẽtes in Academi-
as à parentibus vel amicis miſſos, arbitrari
magnum dedecus eſſe, diu puerili more
Logices artibus immorari, facilè etiam iu-
uenilibus annis earum ſatietatem obſtre-
pere: vel ſi hoc ab ĳs non committatur, in-
tempeſtiuè tamen ſpe lucri, aut etiam am-
bitione quadam ad ſuperiores artes ſiue fa
cultates properare, nec recto tramite in ſtu
diorum Philoſophicorum cognitione pro-
gredi. Vt itaqꝫ vnuſquiſqꝫ ſtudioſorum
in ſua claſſe tanquam intra ſepta contine-
retur, & ne adoleſcentes imparati, ac illo-
tis, quod dici ſolet, manibus, in artes, & ea-
rũ cognitionẽ irruerent: prudentes viri ad
ſimilitudinẽ & imitationẽ aliorũ in vita or-
dinum, gradus quoſdã Scholaſticorũ inue-
nerunt, et non ſaltẽ vnũ, ſed varios in Phi-
loſophia conſequẽdos, excogitârunt & in-
ſtituerunt: ac primo quidẽ gradui, nomen

tribu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

tribuerunt Baccalaureatus, à lauri baccis, eò quòd eis, qui hoc titulo digni eſſent, corona ex lauri baccis contexta, imponi ſolebat.

Fuit aũt hic gradus ceu ludus puerilis, ac ſtimulus ad conſequendos ſuperiores. Hi diu multumq́ꝫ in Logica, hoc eſt, dicendi artibus exercebantur: nec priùs Phyſicen, Ethicen, Mathemata, & alia ſuperiora attingere audebant, niſi inferiores rectè percepiſſent, & coronam ex baccis lauri confectam adepti eſſent. Poſtea verò Ethicæ, Phyſicæ, & reliquis, quæ eò pertinent, artibus, operam nauârunt, & diu immorabantur, donec penitus eas cognouiſſent. Hîc denuò eorum explorabantur vires, & nouus honos ijs tribuebatur, longè præſtantior priori, cui nomen indiderunt Magiſterij. Huius gradus tanta fuit (pro vt & hodie reputatur) dignitas, vt maximum quis ex Philoſophia reportare præmium & gloriam cenſeretur, cui hic titulus tribuebatur. Imponebatur enim, (vt & hodie videre eſt) pileus Magiſtralis, ornabantur manus aureis annulis, proponebantur codices ſeu ſcripta eruditiſsimorũ

Philoſo-

Philoſophorum, proclamabantur Magiſtri & Doctores Philoſophiæ: et quod maximum, inter alia etiam Candidatis poteſtas & licentia dabatur Philoſophiam in Scholis interpretandi. Iudicabantur enim tunc ex ſententia & iudicio ſuorum Præceptorum, ſi non perfectam & omnibus numeris abſolutam, mediocrem tamen omnium artium percepiſſe cognitionem. Vnde, quæ huius gradus dignitas eximia fuerit, liquidò ſatis apparet.

Laudanda itaq; eſt Maiorum dexteritas, quòd primùm in Scholis ſiue Academijs, gradus & claſſes inuenerint, quibus tanquam caueis adoleſcentes includerentur, nec, priuſquam iudicium aliquo modo maturuiſſet, meſſem facere ante tempus permiſerint. Etſi autem hæc ſatis ſufficiens cauſa fuerit veteribus, inſtituendi gradus & dignitates in Scholis: tamen adhuc grauiores conſilij rationes ſapienti antiquitati fuiſſe, nemini, qui modò leuiter liberalium artium cognitione tinctus eſt, obſcurum eſſe iudico. Etenim magnoperè commoueri & perturbari ſolent diſcentes, dum conſiderant, quanto in con-

temptu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

tem̃ptu ſint literæ & artes bonæ: multi eti-
am̃ planè à ſtudijs deficiunt, vulgi de ſtu-
dijs opinione peruerſa faſcinati, & ſe ad
alias lucroſas artes conferunt. Cum̃ ergo
gloria inter externa & fortuita bona prin-
cipem locum obtineat, ſuoq́ꝫ ſplendore,
oculos, mentesq́ꝫ hominum mirificè per-
ſtringat, et incredibile ſit, quibus ipſa qua-
ſi facibus noſtras mentes ad res etiam dif-
ficiles aggrediendas, & maxima perferen-
da pericula, exigui ſæpe fructus & com-
modi ſpe, famæ duntaxat ardore accendat,
idq́ꝫ nulla in re, & negocio potius quàm
in ſtudiorum liberalium tractatione fieri
ſoleat: Maiores, vt haberēt quod contem-
ptui artium opponerent, & iuueniles ani-
mos ad amorem ſtudiorum liberalium
excitarent, prædictos gradus, veræ laudis
& gloriæ conſequendæ ſtimulum, inue-
nerunt, candidatisq́ꝫ hac de cauſa pileum
impoſuerunt, vt eo contra calumnias te-
cti tutiq́ꝫ eſſent. Honos enim, teſte Cice-
rone, alit artes, omnesq́ue incendimur ad
ſtudia gloriæ, iacentq́ue ea ſemper, quæ
apud quosque improbantur. Adde
quòd ex omnibus præmijs virtutis & la-
borum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

borum ampliſsimum eſt gloria: quæ bre-
uitatem poſteritatis memoria conſolatur,
& efficit, vt abſentes adſimus, mortui vi-
uamus: cuius gradibus etiam homines in
cœlum videntur aſcendere.

Iuſtum etiam eſt, vigiliarum & labo-
rum penè Herculeorum, quos ſtudia re-
quirunt multiplices & infinitos, recom-
penſationem quandam eſſe. Non enim
cuiuis contingit adire Corinthum, om-
nisq́ ad eruditionem aditus, arduus eſt ac
ſudoris plenus, propterea quòd Muſæ fin-
guntur habitare in excelſo monte, qui fa-
cilè conſcendi non poteſt: quoniam via,
quæ in cacumen deducit, anguſta nimis,
difficilis, petroſa & moleſta eſt. Vt ergo
milites, qui ſtrenuè cum hoſtibus dimi-
cant, vel dignitatem aliquam, vel remune-
rationem pro labore conſequuntur & re-
portant: ita ſapiens antiquitas gradus arti-
um inſtituit, vt eorũ, qui in Muſarum ca-
ſtris ſedulò militaſſent, pręmia exiſterent.

Examina inſuper & diſputationes
Candidatorum, quæ honores præcedunt,
maximas adferunt vtilitates. Nam in-
genia acuunt, & formant iudicia de ma-
ximis rebus, plurimum ad bene dicendi,

& per-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

& perſpicua oratione explicandi res pro‑poſitas, & facundiam extemporalem com‑parandam proſunt: ſtudium, vigilantiam, ac ſolicitudinem augent: ad omnia quæ traduntur, diligentius obſeruanda & per‑diſcenda, alacriores & exercitatiores red‑dunt. Metuit enim ſibi quiſq;, ne quid ſe fugiat, quod tenere oporteat. Et quod ma‑ximum eſt, examina vanam illam perſua‑ſionem, φιλαυτίαν, arrogantiam, & ignaui‑am, quibus non eſt alia peſtis, cùm rebus omnibus, tum maximè ſtudijs, pernicioſi‑or, ex pectoribus iuuenum adimunt. Po‑ſtremò, cùm etiam plurimum referat, ex‑plorare, quales ad Eccleſiæ & Rerumpub. gubernationem admittantur: gradus ſunt inſtar teſtimonij publici, de alicuius do‑ctrina, vita, & moribus. Ex his itaq; liquet, quibus de cauſis Maiores noſtri adducti, gradus honorum peculiares in Scholas in‑troducere, & virtutis ac ſtudiorum aman‑tes, iiſdem ornare voluerint. Vt enim cer‑tos gradus ætatis hominum, Natura ipſa conſtituit, & vnaquæque ætas, ſua adiun‑cta ſeu ornamenta habet: iuuenis ſeni ho‑norem deferat, eumque reuereatur & co‑

lat: ſe‑

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

lat: ſenex viciſsim iuuenem, quid re- ctum, quid prauum ſit, moneat. Ita haud dubiè Maiores noſtri certos in Scholis & Academijs gradus honorum cuiq; ho- minum ætati & ſtudijs conuenientes conſtituerunt. A Deo etiam ipſo, re- rum omnium autore & gubernatore, in Eccleſiaſtico, Politico, & Oeconomico ſtatu, ac planè in omni vitæ genere, or- do quidam perſonarum inſtitutus eſt. Maior eſt dignitas Epiſcopi, quàm Dia- coni, vel auditoris. Maior Magiſtratus, quàm ſubditi: Maior parentis, quàm libe- rorum: Maior Patrisfamiliâs, quàm fami- liæ. Sic etiam in Academijs conueniens eſt, ei qui plus poteſt, & diu, multumq; in artium cognitione elaborauit, honorem aliquem præ alijs deferre.

Cùm itaque hic honeſtiſsimus mos de- cernendi honores Scholaſticos grauiſsi- mis de cauſis, & ſingulari ac ſapienti con- ſilio à Maioribus inuentus & approbatus, paſsim in omnibus Academijs benè con- ſtitutis receptus, tum etiam in celeberrima Tubingenſium Academia ab Ampliſsi- mo Senatu multis abhinc annis compro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

batus, & ſanctè ſolenniterq́ʒ ſeruatus ſit: multis profectò nominibus felicitati huius Academiæ gratulandum eſt. Ego quoque non tam meo, quàm aliorum doctiſ-ſimorum iuuenum gratia, qui in hac Academia ad honores & dignitates beneuolẽtia Profeſſorum & Ampliſsimi Senatus aſpirare poſſunt, ex animo lętor. Ac in hac lætitia animum meum ſubit tacita recordatio ſapientiſsimi de hiſce honoribus iudicij, Reuerẽdi viri D. Ioannis Bugenhagij ſanctæ recordationis, qui ſumma cum laude Eccleſias regni Daniæ ſub pijſsimo Rege Chriſtiano III. ab Idolomania & horrendis tenebris Pontificiorum repurgauit. Hic ſępe dicere ſolitus eſt, ſe ad nullos publicos & ſolennes Collegarum & Scholaſticorum congreſſus accedere libentius, & maiori cum hilaritate animi, quàm ad eos, in quibus fit renunciatio ſeu collatio Tituli Magiſterij Philoſophici. Multum enim ſe aiebat commonefieri de Collegarum conſenſu, conſpectuq́ʒ frequentis & attentæ Adoleſcentiæ, magna cum ſuauitate cogitare de primis ętatis ſuę ſtudijs, de emendatione pòſt ſecuta, quæ
veteri

veteri & horrida barbarie exploſa, reddidit Scholis fontes puriores diſciplinarum omnium, de initijs ac rudimentis ſolidæ eruditionis, de artium Philoſophicarum dignitate & multiplici fructu, qui ex illis rediret ad Eccleſiam præcipuè, quam harũ artium præſidio carere non poſſe, ſe tot annis vſu atq; experientia didiciſſe, ac compertum habuiſſe, citra omnem hæſitationem affirmare auſus eſt. Argumenta quoque orationum, quę in publicis actibus recitarentur, dicebat multa ſibi vtilia & iucunda reuocare in memoriam, quorum recordatione in ſenecta ſua plus reficeretur, quàm vllis alijs rebus, licet precioſiſsimis. Inprimis autem videbatur ſeriò ac vehementer venerandus ille ſenex animo permoueri, & ad verum & ſolidum gaudium excitari, ob exploratam & certam ſpẽ animo conceptam, de puritate doctrinæ poſt eius mortem in Eccleſia duratura, cùm videret ſubindè prodire ex cœtu ſcholaſticorum aliquos benè inſtitutos & inſtructos ingenijs, doctrina, facundia, & alijs dotibus, qui velut in veſtigia docentum ſenum ſuccedentes, vſui & ornamẽ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

to Eccleſiæ futuri, & pro veritate contra Sophiſticen pugnaturi eſſent.

Etſi autem ego cum pleriſq; Adoleſcentibus meæ ætatis, graduum in Scholis receptorum dignitatem & vtilitatem minimè perſpicere poſſim: tamen ex huius Reuerendi Senis iudicio vtcunq; intelligo, ex graduum collatione in perſonas idoneas facta, maximum emolumentum Eccleſiæ, Politijs & cæteris vitæ partibus accedere. Quod cùm ita ſit, ſingulari etiam laude & prædicatione digna eſt Ampliſſimi Senatus Academiæ Tubingenſis beneuolentia & amor, quo adductus, non ſolùm indigenas complectitur, & eorum ſtudia promouet: ſed etiam eos, qui laude celebritatis & fama huius Scholæ moti, ab exteris, & longè diſsitis locis, non ſine magnis expenſis & ſumptibus in hanc Scholam confluunt, pro innata erga exteros pietate, & beneuolentiæ ac humanitatis ſignificatione, ad honores & dignitates prouehit. Quamuis autem noſtris officijs Senatum Ampliſſimum ob rerum omnium abundantiam non indigere ſciam: tamen hoc vltrò pollicemur, nos Ampliſſimo hu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

mo huius Academiæ Senatui, inprimis verò Magnifico Domino Rectori, lubentes, pro vt ciues Reipublicæ literariæ honeſtiſsimos decet, obtemperaturos: ſimul etiam de gratia Magnifico Domino Rectori, & Spectabili Domino Decano Facultatis Philoſophicæ referenda cogitaturos: Patriam etiam noſtram, amicos, & cognatos, qui plus nobis præſtare poſſunt, idem facturos planè confidimus.

Tandem verò, vt doctiſsime & humaniſsime D. Magiſter Ioannes Oldorphi, me ſermone meo ad te conuertam, & orationis meæ filum, quod longius quidem quàm cogitâram ſe extendit, (quanquam ea in re quid longum eſſe poſsit non video) abrumpam: explicare ſatis non poſſum, quanto gaudio, quantaq́ꝫ voluptate perfundar, cùm videam te conterraneum meum doctrinæ & virtutis tuæ ſingularis aliquando teſtimonium publicum in hac celebri Academia accipere, & quidem bonorum iudicio, non cęco fauore fortunæ, quæ interdum etiam improbis, quod non ſunt meriti, tribuere, eosq́ꝫ vt plurimum in altum extollere ſo-

let. Totum igitur hoc, quicquid eſt boni, & honorum, poſt Deum nulli, niſi Præceptorum erga te beneuolentiæ, & tuæ ipſius induſtriæ acceptum feras neceſſe eſt, vt nihil inde cæca illa & volubilis rerum domina ſibi vendicare poſsit. Gratulor igitur tibi, & non tam tibi, quàm patriæ, parentib. amicis, & mihi ipſi. Tibi, quòd honos ille, quo te ſemper digniſsimum præſtitiſti, aliquando tibi doctiſsimorum ſuffragio delatus ſit. Quamuis autem hęc dignitas ampliſsima ſit: tamen ſpero, eam deinceps gradũ quaſi fore, per quē ad altiores honores & dignitates conſcēdere & peruenire poteris, ſi modò euentus tuis virtutibus & doctrinæ reſponderit. Patriæ verò, quòd talem virum (ſi vita, quod opto, tibi prorogetur) habitura ſit, qui ei maximo ornamento & præſidio eſſe poterit. Patri, quòd talem filium habeat, qui patris honeſtiſsimi & doctiſsimi veſtigijs inſiſtat, & ſimul cum bonis, virtutem, nomen et honorem, quaſi iure hæreditario accipiat. Amicis tuis omnibus, quòd cùm eos ſemper morum innocentia decoraueris, nunc etiam honoris claritate, & doctrinæ authoritate ornabis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

nabis. Mihi ipſi verò collætor, quòd eo tempore Tubingam venerim, quo renunciationi honorum olim commilitonis mei chariſsimi in libera Hærluffsholmienſium Schola, à Nobili Domino Herluff Trol, Equite aurato, & regni Daniæ Subadmiralio, fundata, intereſſe liceat.

Quod ſupereſt, Deum Opt. Max. Eccleſiæ & ſcholarum, vereq; piorum & doctorum cœtuum autorem & conſeruatorem ardentibus votis & gemitibus oro, vt hic nouus honos tibi in præſentia delatus, vergat in ſui nominis gloriam & propagationem, patriæ noſtrę emolumentum, tuorum omnium gaudium, & tui ipſius ſalutem. A te autem doctiſsime Domine M. Iohannes Oldorphi, amice chariſsime, peto, vt votum & gratulationem hanc, eo quo ſcripſi animo ſincero, accipias, & munuſculum hoc, ſi dignitatem ſpectes, perexiguum: ſi vires & laborem, mediocre: ſi animum amici, magnum, boni conſulas.

Soli Deo ter trino & vni Opt. Max.
laus, honor & gloria, Amen.

Nicolaus Christiani
Coccius

AD ORNA-tiſsimum virum M. Iohannem Oldorphium Danum,

πρόγραμμα.

CApnio Romana quondam nouus hoſpes in vrbe:
Audijt Argropylum verba Pelaſga loqui:
Thucydidisq; ſuo proponere dicta Lycæo,
(Hellade nam Latiam venerat exul humũ.)
Isq; vbi Germanum Latios videt inter amicos,
Protinus, an cupiat verba Pelaſga, rogat.
Capnio non longum dando reſponſa moratus,
Commutat Latijs Attica verba ſonis.
Suſpiciens cœlũ Argropylos, proh IVPPITER, (inquit,
Diſiecta Alpinum tranſuolat Hellas agrum.
Quid mirum, ſi quis tot noſtro tempore Danos
Aſpiciens cultos moribus, arte, fide:
Altius exclamet, iam Baltica littora & Arcton
Tranſijt Auſonijs Græcia iuncta plagis?
Quando tot Cimbri Muſarum caſtra ſecuti,
Auſonios callent Cecropiosq; libros.
Quando tot verſus, ceu largo è flumine, fundunt,
Gratantes ſtudio, docte Olodorpe, tuo?
Gratulor hũc animum Danis, has gratulor artes,
Gratulor & laudi, docte Olodorpe, tuæ.

Nicodemi Friſchlini Alemanni,
Poetæ L. Comitis Palatini,
Profeſſoris Tubingenſis.

Ad eundem.

IAne, mellifera velut volucres
Contemnuntq́; fauos, domosq́; linquunt,
Vagæ atq; hinc volitant & inde circum,
Quærentes variata flore prata
Flore melliculo tenelluloq́;
Prata reſcidula ac amœna prata.
Sic tu ſic gelida profectus Arcto,
Paſſus mille moleſtias viarum,
Germanos adiiſti adusq; fortes,
Vt cultum ingenij elegantiorem
Captares: veterumq́; ciuitatem
Trebocum (hîc vbi STVRMIVS docendo
Balbum ſollicita polit loquela)
Luſtras: quæ Ciceronis inſolenti
Et raro eloquio per eſt celebris.
Pòſt Tubingiacos videre muros
Placet: fama volat ad aſtra quorum.
Et propter ſtudij pios ſacrati
Doctores, Sophiæ & bonos Magiſtros.
His tu, Iane, locis multo labore
Et magno ſtudio eruditionem
Permagnam Sophiæ Eloquentiæq́;
Paraſti: vtq́; vagæ ſolent ſuaues
Flores carpere Apes: ita optimos tu
Iane ex omnibus eligis magiſtros,
Qui tuum varia eruditione
Ornârunt animum, & ſimul dederunt,

Vt poſſis alijs præeſſe doctor.
Sit fœlix honor iſte, cum decore
Aſſurgat tibi nomen, eſto longum
Superſtes patriæ, patri, atq; amicis.
Virtutis veneranda perge caſtra
Sectari, pede quo hactenus ſolebas
Ire: ſentiat vbereſq; fructus
Tellus Cimbrica: ſentiatq; CHRISTI
Hinc Eccleſia commodum: DEVSq;
Hinc ſuo celebretur ipſe honore.

M. Ioſephus Engelhartus F.

Ἐπίγραμμα *AD EVN*-dem, ſcriptum à Iohanne Frobenio Niſſenſe Sileſio.

O Dulcem ac niueam diem, IOANNES:
O factum lepidumq;, ſplendidumq;:
Dignum perpete laude, voce, plauſu:
Dignum carminibusq; peruenuſtis,
Nec non & ſalibus facetijsq;.
Ille montis honor, decusq; ſacri,
Proles Delia, Delia illa proles,
Phœbus, Caſtalidum decus ſororum:
Phœbus, Pæoniæ repertor artis:
Inuentor Cytharæ DEVS ſonoræ.
Illa, inquam, Aonij iugi voluptas,
Proles Delia, Delia illa proles:
Phœbus Pierij chori corona,
Ardor, blanditiæ, quies, ocellus:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Qui pubem, ſtudijs bonis vacantem,
Lauri fronde, comas, virente cingit,
Propulſatq́; rudes nocente telo.
Hic iam temporibus tuis coronam
Annectit viridem, laboribusq́;
Intentis xenium, DEVS, reponit:
Famam doctiloqui offerent Magiſtri.
Verum ſcilicet illud eſt, IOANNES,
Quod dici ſolet: Improbo labore
Vendunt cuncta hominum Dei cateruæ.
Sic cùm, Pierum petens cacumen,
Sudoresq́; graues, moleſtiasq́;,
Et magnos toleraueris labores:
Te iure accipere hoc putamus ipſum
Munus, dante DEO, ſacrisq́; MVSIS.
At refrigerium hoc moleſtiarum,
Inſignem titulumq́;, gloriamq́;,
Proles Delia, Delia illa proles,
Scis quot contulerit diebus? vno.
O Phœbum egregium, ô Deas iocoſas:
O factum lepidumq́;, ſplendidumq́;:
O dulcem ac niueam diem, IOANNES.

Ad eundem.

IN MEMORIÆ ET AMI-
citiæ Symbolum Argentorati F. Paulus No-
uiomagus Coldingenſis Danus.

VT ſibi diuitias mercator quærat inanes,
Non timet infeſtas ſæpius ire vias.

Sen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Seu canis Erigones rapidos ſuperingerit æſtus,
Sæuaq; ſeu duplicat frigora triſtis hyems.
Cur te pœniteat patriam liquiſſe, Iohannes,
Præmia doctrinæ qui vberiora petis.
Non poſſunt homini triſtes depellere curas,
Quas Tagus, aut totus ſuſtinet orbis, opes.
At didicit doctas quicunq; fideliter artes,
Immemor is duræ ſortis vbiq; manet.
Hoſpes ad ignotam quoties proficiſcitur vrbem,
Sarcina ſunt longæ non oneroſa viæ.
Dulcia in aduerſis præbent ſolatia rebus,
Et vitijs vacuum pectus habere docent.
Ergo quòd à teneris ſtuduiſti ſedulus annis,
OLDORPHI, ex merito laus tibi vera venit.
Nam tua mens turpi non eſt obnoxia facto,
Vita carens macula puriter acta fuit.
Puriter acta fuit ſtudijs addicta ſeueris,
Quæ mentem & mores excoluêre tuos.
Ergo Magiſterij tibi quòd tribuantur honores,
Gratulor, & vitæ proſpera fata precor.
Non labor à meta deterreat improbus: omne
Cedat ſpontè, tuum quod remoratur iter.
Et quando fueris virtute & honoribus auctus,
Te natum patriæ, ſis memor, eſſe tuæ.
Tunc tibi contingat ſaluum cum matre parentem
[illegible] reditu gaudia grata dare.
D[illegible] [illegible]enij, (hoc etiam curare decebit)
[illegible] p[illegible]s alijs munera larga tui:

Non

Neu quiſquã inuidia ductus, bona tempora dicat
Te malè, cum ſumptu deperiiſſe tuo.
Interea celebra lætus ſolennia feſta,
Et bene cum reliquis viue, valeq́; diu.

Ad eundem.

CARMEN GRATVLATOrium, Iacobi Suuaningij Ripenſis, Dani.

INgredere OLDORPHI, redimitus flore capil(los
Adfer ad optatam vota benigna diem.
Nam quia cura tibi ſacrarum caſtra ſororum
Vsq; ſequi, & Muſis inuigilare fuit:
Præmia militiæ vigilatorumq́; laborum
Nunc capis, & ſtudiis nomina digna tuis.
Quorum tu quanto fueras perculſus amore,
Hæc res pro multis vna docere poteſt.
Quòd te nec chari & dulces tenuêre parentes,
Nec patria in cœptis eſt remorata domus.
Quin potiùs, vitæ per tot diſcrimina, longam
Huc ſis arctoo menſus ab axe viam:
Scilicet vt ſummis quæſitis artibus inter
Extares doctos pars quoq; magna viros.
Viciſti: & tandem longo pòſt tempore venit
Oldorphi votis meta petita tuis.
Nam quia Pieridum pulchrè es formatus ab arte,
Ecce Magiſterij non leue non [illegible]
Et meritò, tua cùm iam ſit doctri[illegible]esq;
Spectata, & nullis vita peracta [illegible].

Adde, quòd hoc, plectro Citharam modulata te-
De te iudicium noſtra Thalia tulit. (nello,
Si quis, ſi tali vir quiſquam nomine dignus,
Illo te dignum nauiter eſſe virum.
Quid multis opus eſt? Nomen, locus ipſe probauit
Conueniens ſtudijs parq́; fuiſſe tuis.
A primo quartum docto te exiſſe Lycæo
Conſpexi, magna voce ſonante tuba.
Sex quater à tergo, non indignantibus ipſis,
(Longa Magiſtrorum turba) fuêre tibi.
Sed neq; tantus honos ſoli tibi competit, inde
Nam repetit partem docta Tubinga ſuam.
Docta Tubinga omni quæ ſic inclaruit orbi,
Vt ſit Teutonicæ lausq́; decusq́; plagæ.
Cuius apud Cimbros nomen laudesq́; manebunt,
Cimbrica Baltiacum dum mare terra videt.
Nunc ſupereſt ſpartam Oldorphi quam nactus es
In vera vitæ Relligione tuæ: (ornes
Sit grauitas cordi, leuitas procul vndiq; cedat:
Nam leuitas doctis debet abeſſe viris.
Sic tibi quod multo decus eſt ſudore paratum,
Hoc Chriſto & patriæ ſeruiat omne tuæ.
Sic poteris docto requies baculusq́; ſenectæ
Eſſe patri, & patrij gloria magna ſoli.
Accipe deductum, Muſæ, quo Carmen honores
Atq; faces, placuit, condecorare tuas.
Quodq́; tibi in vita rebusq́; precatur agendis,
Auxilium Chriſti Iane fauentis habe.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Ad eundem

Ε'ΠΙ'ΓΡΑΜΜΑ *AVGV-*
ſtini Köcker Lubecenſis.

MIrare forſan, quid tibi ferat meum,
Amice, carmen impolitum hoc & rude:
Tibi, BIORNO cui pedeſtribus modò
Sermonibus, nec non ſuis VLFSTAND bonus
Metris, honores contulêre maximos:
Vterq; genere moribusq; nobilis,
Vterq; veſtræ lux futurus patriæ,
Vterq; fratris mî loco chariſſimus.
Tibi, Scholæ cui maximum noſtræ decus
FRISCHLINVS, ac tot optimi iam verſibus
Iſtunc honoris gratulati ſunt gradum
Iuuenes, precati cuncta ſimul & proſpera,
Mirare carmen quid rude hoc ferat meum?
Non id tuas laudes canit, nec ingenI
Dotes capacis, nec peractam puriter
Vitam, pieq;: Non honores, præmium
Virtutis, oblatos modò eximios tibi
Gratatur: Aſt illud tibi nunc maximè
Congratulatur, hice quod præconia
Laudum tuarum fecerint, tales viri
Iuuenesq;, qui virtute & ipſi præditi
Sunt, omniumq; laudibus digniſſimi.

Aliud eiuſdem autoris.

Ardua ſublimis Parnaſſi culmina Muſas

Ince-

Incoluiſſe, ferunt (ſic dogmata vera iocoſis
Fabellis perſæpe ſolent inuoluere) vates.
Scilicet id monſtrant: quòd vera ſcientia, munus
Numinis eximium, paucis datur, vtpote nulli
Quæ venit, immenſo nî ſit quæſita labore.
Sunt etenim, primo quos mox in limine montis
Aſcenſus terret dubius: qui tanta putantes
Ingenio maiora ſuo ſtudia eſſe relictis
Diffidunt penitus Muſis, arteſq́; doloſas,
Huic modò ſi vitæ præbent alimenta, ſequuntur.
Progreſſi ad montis quidam latus; eſſe videntur.
Iſti laude tamen digni haud maiore, quòd ipſo
Conſiſtant curſu in medio, nec ad alta, procellæ
Aut timidi nimiùm, vel conditione ſuarum
Contenti rerum præſenti, aut, cuncta putantes
Se ſcire, aſpirent; ac turpia ducere malint
Ocia, quàm verum veræ virtutis honorem
Sectari, inceptos & continuare labores.
Pauci igitur rigidi ſaxoſum montis acumen
Tangere, & aërias Muſarum ſcandere ſedes
Ingenijs valuêre ſuis: ſumptu atq; labore
Pauci haud parcentes, mentem pietate, boniſq́;
Artibus, & virtute ſuam excoluêre decora.
Tu tamen aſſiduus Muſarum cultor, amice
OLDORPHI, *eximijs ſtudijs, ac ſola beatos*
Quæ facit, exornaſti animum pietate, ſacroſq́;
Caſtalij latices hauſiſti fontis: & , hoſce
Quò caperes fructus, patriam, dulceſq́; parentes
Liquiſti,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Liquiſti, atq; alio terras ſub Sole iacentes
Inuiſiſti. Igitur virtutis præmia tanta
Accipis hos meritò, tibi quos gratamur, honores.
Fœlix, quem pietas exornat, & inclyta virtus
Cui fert egregium laudis decus, ille laboris
Iuſta ſui iam præteriti tum præmia ſentit.

Ad eundem.

THOMAS FINCKEN,
Flensburgenſis, Argentorati F.

PRoxima poſt decimam iam ſeſe aurora mo-
Inq; ſuo curſu Februus aſper erat. (uebat,
Protinus imbriferæ pelluntur ab æthere nu-
Et nitidum rurſus fulget ab axe iubar. (bes,
Egredior tunc fortè, Deis ſuadentibus, vrbe,
Quæ iacet ad ripas, lubrice Rhene, tuas.
Et varias rerumq; vices, caſusq; recordor,
Obuia ſunt animo plurima facta meo.
Cùm procul à tergo murmur peruenit ad aures:
Reſpicio, & lepido corpore cerno virum.
Non humana illi ſpecies, non ora, colórue,
Mortali qualis conueniebat, erat.
Os humerosq; Deo ſimilis, greſſumq; decusq;
Qualia vix credas poſſe decere Iouem.
Imbelli dextramq; lyra, clypeoq; ſiniſtram,
Et pharetra accinctus verſicolore Deus.
Formoſo viridis vernabat in o[illegible] iuuentus,
Illius ornabant laurea ſert[illegible]onas.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Isq́ꝫ nouem duxit forma præſtante puellas
Æthereas, omnes ex Helicone Deas.
His qualis fuerit facies, quàm forma decora,
Vix numeris videor dicere poſſe meis.
Brachia nuda gerunt, deuinctaq́ꝫ tempora myrto,
Effuſisq́ꝫ comis cinctus vtriſq́ꝫ ſinus.
Hæc ego contemplans, pedibus cum voce repreſſis,
Obſtupui, & mecum neſcius ipſe fui.
Vincit at in Diuos pietas, Diuûmq́ꝫ voluntas:
Vt ſpectem, quem ſit res habitura modum.
Mox redit, & toto diffuſus corpore ſanguis
Viuit, & exanimis deſerit oſſa pauor.
Ergo auidus dextrãq́ꝫ fero, propiorq́ꝫ ſub vmbra
Ilicis, in iuuenum lumina figo gregem.
Tunc Deus ille nouem compellans voce ſorores,
(Si modò, quæ dixit, ritè recordor) ait:
Iam lux illa venit, Diuæ, voluentibus aſtris,
Quæ mihi, quæ votis ſæpe petita fuit.
Præmia nam iuuenes tandem, quos aurea virtus
Montis ad Aonij culmina vexit, habent.
Hos, Arrhuſiaca qui natus in vrbe, videtur
Inter, Pegaſei fama decusq́ꝫ chori.
Huic genitrix, bellis præſtans, eſt Cimbrica tellus,
Quæ colit ingenuas, non ſine laude, Deas:
Syncerumq́ꝫ fouet iam Relligionis amorem,
Et quæ ritè ſonant dogmata ſancta Dei.
Is quoniam teneris vos ſemper amauit ab annis,
Artibus inuigilans litterulisq́ꝫ bonis:

Non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Non ſiuêre patres, patrijs torpeſcere in oris:
Viſere longinquas ſed voluêre plagas.
Nam primam patrijs vbi vitam duxit in oris:
Protinus ad ſtudium miſit vterq; parens.
Hafniacos igitur portus, clarumq́; Lycæum
Ingreditur, celebres ſunt vbi laude viri.
Hìc didicit ſubitò ingenuas Oldorphius artes,
Nam nulli ingenio cedere viſus erat.
Pòst Argentinam, doctrinæ ad culmina venit:
Hinc portas intrat, clara Tubinga, tuas.
Sacras hîc artes ſequitur, ſtudiumq́; Mineruæ,
Et caſtos mores, & pietatis opus.
Arguit hoc virtus hominis, doctrinaq́; rerum:
Arguit hoc, nullo teſte, probanda fides.
Alea non pernox, Veneris non vlla voluptas
Hunc potuit, potuit vincere nullus amor.
Non Cyathis inhiat, non turpi pectora vino
Dedit: ſcit iuueni vina venena probo.
Ocia Bacchus amat, ſed non amat ocia Ianus:
Iuris in hunc igitur nil habet ille Deus.
Scit bene, quòd ſuperet formoſa cacumina montis
Nemo, nî præceps ingrediatur iter.
Nî ſudore graui, duriſq́; laboribus artes,
Et vigili iniunctum mente reuoluat opus.
Spemq́; metumq́; inter, nullo diſcrimine victus
Suſtineat, quamuis dura terenda via eſt.
Hos igitur noſtri quia vicit amore labores:
A nobis tandem præmia digna feret.

At vos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

At vos, quæ mecum magno hunc ornatis honore,
Ornatum nunquam deſeruiſſe decet.
Dixit: & ad dextram inclinant, paulumq́ʒ rece-
Muſæ, quæ veniunt ex Helicone Deæ. (dunt
Tunc me ſurgentem circumſtitit vndiqʒ terror,
Et ſubitò cunctæ diriguêre comæ.
Ille ſed vt ſenſit trepidans formidine pectus,
Quos fecit, verbis ſuſtulit hiſce, metus:
Abijce ſollicitas pauido de pectore curas,
Diuini ſiquidem numinis ora vides.
Phœbus adeſt, tandem referens noua gaudia, quæ
Sollicitis votis ſæpe rogare ſoles. (tu
Ianus enim tuus & patriæ communis amicus,
Pro ſtudijs tandem præmia magna feret.
Vrbs iacet ad flauum Nicrum, quæ dicta Tubin-
Hæc floret ſtudijs artibus atqʒ bonis. (ga eſt,
Ecce Magiſterij decus & noua præmia laudis
Accipiet, Lauri cinctus honore caput.
Tu licèt ad Rhenum me certior indice factus,
Non potes huc duram carpere amice viam:
Membris hinc abſens, prono ſis pectore præſens,
Et pia pro Iano ſuſcipe vota tuo.
Et tibi Mæonidis quamuis non vena Poëtæ,
Andinæ nec ſit gloria ſumma lyræ.
Pauca tamen poteris memorem teſtantia mentem
Condere diſparibus carmina iuncta modis.
Hæc vbi dicta dedit, vacuas ſublatus in auras
It prior: hunc reliquus ſubſequiturq́ chorus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Non ſecus ac niueus magno volat agmine cygnus,
Inter & obſcurum, nubila, capit iter.
Sic procul Æthereas hæ dilabuntur in auras,
Spirat & Ambroſius ponè relictus odor.
Aſt ego conuerſo repeto dum mœnia greſſu,
Et tacitus mecum dicta reuoluo Dei:
Nuncius ecce mihi occurrit, qui talia dicit:
Dicit, quæ Phœbus dixerat antè mihi.
Hinc igitur multum, multũ tibi gratulor inquã,
O mihi Neſtorea cognite Iane fide.
Et precor, vt patri viuas, patriæq; ſuperſtes,
Sintq; Magiſterij proſpera fata tui.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)

3383.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 8° (LN 407)